

1764, 19.
Ae: 34.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
TVTORE ANECLOGISTO
HODIE
AD RATIONES REDDENDAS
OBLIGATO
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAE S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE V. OCTOBRIS ANNO CICICCCCLXIV.
DEFENDET
CAROLVS AVGVSTVS SCHLOCKWERDER
LOEBA - LVSAT.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



LIBRARIUS ICHORIUS ORNATUS GRVIA
TATORE ANELOGISTO
AD RATIONES REDDENIAS
OPTIMA T O
640
D CHRISTIANO HINR BREMNING
TROPOGON FESTI AVDIOVIA NAT ET GENT.
ET SOCIETATI CIVITATIS UNIVERSITATIS 1610
IMAGINATORIO HIRTRICO
PIE MOCOTOPRIAE ANNQ CIDECCLII
CAROLAE AGASTAS SCHOLARIBVR
LIPSIA
EX OFFICINA FRANCISCHINI

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
WOLFF CHRISTIANO
DE SCHOENBERG
DOMINO IN ARNSDORFF, WEICHA CAET.
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
CVBICVLARIUS

ET
CAPITANEVS PROVINCIALIS MARCHIONATVS
LVSATIAE SVPERIORIS

DOMINO ET MAECENATI SVO
GRATIOSISSIMO

D. D. D.



TERMINISTI ATQUE ENTHUSIASMO

D O M I N O

MOTIE CHRISTIANO

S C H O E N B E R G

SECRETISIMI ELECTORIS SAXONIAE
CHARACTERISTICAS

CHARACTERISTICAE MAGDEBVRGENSIAE

CHARACTERISTICAE MAGDEBVRGENSIAE

DOMINO DE MAGDEBVRGI SVO

CATHOLICISMO

X D O

DOMINE
PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIME
DOMINE GRATIOSISSIME!

Anceps haesi, vtrum libellum meum
tenuem *TVO*, DOMINE
PERILLVSTRIS, NO-
MINI PERILLVSTRI inscribe-
rem. Magna enim est audacia, summis Vi-
ris leuissimis cogitatis molestiam imponere.
Imo veritus fuissim hoc audere, nisi summa
scientiarum doctrinæque *TVAE* copia mibi
veniam promitteret atque gratiam. Incitat
praeterea animum meum officii grauitas, quo
prouinciae patriæ curam geris, quo omnes
TIBI, qui Lusatiam superiorem patriam
colunt, obstricti sunt.

Hac

Hac sola spe fretus hanc dissertationem
TVO NOMINI PERILLVSTRIS sa-
cram esse iubeo. Accipias hanc gratiosa fronte
demisse rogo, nec contemna prima haec doctri-
nae meae initia. Mili nihil accidere potest,
quod magis optarem, quam ut meis votis, quae pro
TVA incolumitate, Patriae tam salutari, con-
cipio, felicissimus exitus respondeat, qui sum-
ma pietate animique devotione TVA E grata-
tiae commendatus esse cupio. Sum

N O M I N I S T V I
P E R I L L V S T R I S
E T G E N E R O S I S S I M I

Lipsiae,
die XXVIII. Septembr.
MDCCCLXIV.

DEVOTISSIMVS CLIENS
CAR. AVG. SCHLOCKWERDER.



DE
TVTORE ANECLOGISTO
HODIE
AD RATIONES REDDENDAS
OBLIGATIO



uamuis quidem valde vtile ac proficuum sit inuentum, quo *tutelae officium* introductum, iisque qui ipsimet se suaque defendere per aetatem non poterant, alii defendendi dati sunt, tamen valde ii delirant, qui primum originem huius tam salutaris inuenti in ipso *Iure Naturali* inuenisse sibi persuadent. Quo enim vinculo suffulta sit tutela tanquam iuris naturalis officium, vix vñquam perspici poterit praeterquam ab iis, quibus omnium moralium praceptorum commixtio, relicta iuris notione, pro *Iure Naturali* valet:

A 2

Quasi

Quasi omne id, quod per dictamen rectae rationis perspici posset, ad Naturae leges esset referendum! Quis enim unquam negauit regulas virtutum, decorique praecepta ex rectae rationis dictamine cognosci: at quis tam imperitus erit limitum scientiarum, ut, quae in ethica tractanda sunt ex iusto ordine, in Iure Naturali tractet. Vix autem aliud fundamentum existet, si quod in philosophiae doctrinis quaerendum, quam ipsius humanitatis praecepta. Praecipit virtutum doctrina, ut ei, qui nostro auxilio consilioque indigens est, ex illo, quae est omnium hominum communis coniunctio, amore feliciter, succurramus eiusque commodum promoueamus. Et quis magis alieno indiget auxilio atque consilio tam in vitae rationibus, quam in ipsa bonorum conseruatione, quam impubes minorue. Magis vero dein hanc virtutum obligationem auxit atque perfectam effecit ipsa res publica, cuius interest, non tantum ut pueri bene educentur, sed ut iis sua conseruentur bona, quorum facile iacturam pati possent, cum illorum administrandorum atque curandorum nec iustum rationem nec exactam aliquam experientiam habeant, quibus solum ad administrandum bona habiles fiunt.

§. II.

Vim ac potestatem in capite libero, ad tuendum eum, qui per aetatem sponte se defendere nequit iure civili datum ac permisum, Iura nostra tutelam vocant. Quandoquidem variis modis explicit verba vim et potestate, ut est apud HEINECCIVM in Inst. L. t. Tit. XIII. §. 203. sane opus est, ut potestati tunc alium significatum tribuamus, quam quem alias in Iure Romano habere solet. Nihil enim certius est, quam in Iure Personarum Potestatis ideam



ideam in dominio quiritatio quaerendam esse. Satis constat vim aliquam, at non potestatem patriam, ei tamen in quibusdam valde similem habere tutorem in pupillum. Est enim in officiis patris, ut educet tueaturque liberos, iis quoquis modo prospiciat, ut bonos aliquando ciues habeat respublica. Quis negat et hoc in officio tutoris obseruari. Vim itaque potestatiuam, seu potestati patriae substitutam habet tutor. Neque inconsueta est ea dicendi ratio loco adiectui substantiuum ponere perque copulam cum suo substantiuo coniungere. Videntur autem populares in eo aliquantulum recedere a notione tutelae romanae, quod apud eos, cum patria potestas his nunquam tanta fuerit, quanta Romanis, tutela vicaria quasi potestas patria sit, maxime si vsumfructum tutori ex bonis pupilli competentem adspicias tanquam speciem acquisitionis per pupillum, quod in legitima atque materna videtur usi receptum fuisse vid.
H E I N E C C I V M de V s u f r u s . i a t e r n . I u r . G e r m .
et **P E T R . D E L V D W I G** in *Opusc.* T. II. pag. 103.
quod in dativa Saxonum moribus non obseruatum scimus
ex S P E C . S A X O N . Lib. I. art. 23. et **W E I C H B I L D .**
Art. 49. Nolle tam haec ita intelligi, ac si patriam potestatem non differre a tutela arbitrarer: dico similem magis fuisse inter maiores suae quam exercuere potestati patriae, quam inter Romanos.

§. III.

Patet ex eo, quod omnia habent compendia, tutelam peregrino Iure vel testamento vel lege datum fuisse vel demum a *magistratu*, quae ultima a lege Atinia varias habuit vicissitudines usque ad Iustiniani Seculum: Sed haec vulgaria. Neque pugnam cum **L E Y S E R O** in *Meditat.*

B

ad

+ + +

ad ff. Spec. CCCXXVIII. pugnabo, qui adeo quartam inuenisse putauerat in Iure Romano tutelae speciem sc. *paſſitiam* contra huius iuris analogiam: tribuo id suo nouarentis animo. Habet enim saepius opiniones, quas pro-pugnat, quarum alias vix defensorem habebit quemquam. Sed in ea pugna iam victoriam contra eum deportauit van VRYHOFF in *Obseruat. Iur. Ciu. cap. IX.* et dixisset satis HILLER de figmento tutelae speciei quartae paſſitiae seu conventionalis, si de romano egisset Iure, non aequem de patrio.

§. IV.

Patriam nostram antiquissimis temporibus tutelam legi-timam agnouisse et *paſſitiam* ut exhibet GLAFFEY de tu-tela *paſſitiae*, iam nemo dubitat. Testamentarium ignotam, postea si quae est inter nos, quod nondum conce-do, ex iure Romano accessisse, vel ideo nemo negabit, cum testamenta antiquitus in Germania ne cognita quidem fuerint. Datuam tutelam obseruatam ex iure su-premae tutelae, cum nemo adesset, qui pupillum deser-deret; facile cuius patet, tutoremque praecipue magi-stratus summi tanquam legitimè alicuius primarii tuto-ris vicarium fuisse. Sed quid? Legitimis ipsum acce-simus magistratum summum? An recte? Non dubi-to. Docent variae Leges Germanorum, quae principi-hanc tutelam s. mundeburde tribuunt. Exemplum in C A-PIT. CAROL. M. et LIV'DOM. PII Libr. VI. cap. CCXXIII. Et mores probant ab HEINECCIO de Suprema Principium tutela adducti probatique. Neque recentiores mores improbare videntur, cum in ORDIN. POLITIC. FRANCOFVRT. d. A. 1577. expresse compo-

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

comprobatum: Wenn aber nun denen Obrigkeiten zusteht, Einsehen zu haben, damit die Pupillen nicht benachtheiligt werden; Quem vero fugit, subordinatos magistratus vices principis sui exercere atque ab eo constitui, ut per eos suam potestate suaque iura exerceat.

§. V.

De reliquis tutelarum speciebus iam nihil est, quod dicamus, si praesentis thematis ratio habenda est. De tute ore potius *aneclogisto* ex utroque dicendum est iure. Tuto rem *aneclogistum* vocant, qui a necessitate reddendarum rationum liberatur, non aequa a pupillarium rerum administratione. Omnes enim honorarii notitia eque causa dati, cum nihil administrant, nec ad redditionem rationum possunt esse obligati, sic et ii quodammodo *aneclogisti* improprie dici possent. Sed de his iam sermo non est. Si ad veram eamque primariam tutorum obligationem respicimus, ea quidem pupillorum educationem concernit, dabatur enim Romanis tutor persona, et cum educatio recte fieri non posset, nisi bonorum impuberis, si quae haberet, ratio haberetur, ex quibus simul sumtus atque impensae in educationem fieri possent, alterum officium tutori imponebatur, ut videlicet bona patrimoniumque impuberis administraret. Sequebatur ex hoc ipso officio nouum aliquod, scilicet, tenebatur tamquam administrator, ad rationes gestae suaे administratio- nis reddendas, simulac ad finem perducta esset adminis- tratio, quod siebat, finita tutela. Consecularium officii hu- ius erat, ut tunc bona cum accessionibus restitueret, dama- contra, si quae sua culpa pupillaribus bonis data essent, re- sarciret. Horum officiorum omnium grauitas causa erat,



vt non nunquam vel magistratui ipso vel contotoribus satisdare deberet ipsomet administrans tutor in securitatem rerum pupillarium. Neque vero vel ipsa tutela recte finita videbatur, nisi his omnibus officiis perfecte adimpletis et absolutis. Neque fideiussorum, quibus satisdederat, obligatio prius cessare poterat, quam finita sic tutela, vt omnia officia, a tute obseruanda, obseruata fuerint, si ex regula totam causam nobis fingimus. De omnibus reliquis nihil agimus, de solis rationibus reddendis agamus.

§. VI.

Tutelam dixeramus non prius recte finitam nisi obligationibus iis absolutis officiisque adimpletis. At vulgo dicunt finiri tutelam pubertate et ait V L P I A N V's *Fragm. Reg. Tit. XI. §. 28.* *Liberantur tutela masculi quidem pubertate.* Ita sane haec vulgaris opinio videtur pugnare cum iis, quae supra diximus, finiri officiis demum absolutis. Sed rem conficit C A L L I S T R A T V S in *L. 33. §. 1. ff. de admin. et peric. tut.* Ait: *Officium tutorum curatoribus constitutis, finem accipit.* Facile patet liberari quidem ex Iure Veteri puberes factos sola pubertate a tutela, posito tamen quod ex Constitutione Diui Marci curatores petierint. Sed officium et obligatio prius finem accipere nequit, quam Curatoribus acceptis seu constitutis, quibus ratio pupillaris reddi, bona administranda restituī, et si quae damna data, refarciri possent. His demum adimpletis cessabat tutoris officium, a quo iam pubertate sua liberatus erat pubes factus: Imo nec aliter res suisse videtur ante Constitutionem Diui Marci. Prius enim quam rationes exhibisset, bona tradidisset damnataque refaciuisset, ab officio nec liber pronunciari poterat tutor,

tutor, quamvis si togam virilem cepisset ex agnatorum consilio eoque pubes declaratus, absque dubio a tutela liber esset. Nolim vero hic credas, me opinionem aliquam iuri contraria assere. Referunt leges pubertatem terminum tutelae; nos tempus togae virilis captae, et tamen dubitarunt Proculeiani pugnantes cum Sabinianis de Pubertatis termino emerito, an ex habitu corporis, an ex aetate ratione constituendus. Quidni ex toga virili? Sed salua res est, nec recedimus a iuris opinione. Refert G E L L I U S in Noſt. Attic. Libr. V. cap. 19. arrogari neminem potuisse, quam qui effet *vesticeps*, h. e. qui togam puram cepisset. ICti dicunt: impuberem non potuisse arrogari, nisi demum ex Diui Pii Constitutione adhibitis solennibus. Itane *vesticeps* ille alias quisquam est, quam pubes. Controversia itaque illa Sectarum concernebat tempus, quo quis *vesticeps* fieri seu capiendo togam puram pro pubere haberi posset. Ita sane haec omnia conspirant. Tandem terminum pubertatis extra disceptationem posuit Iustinianus. Sed haec trita.

§. VII.

Alia quodammodo videtur popularibus facies in hac causa. Nam quod ad terminum finitac tutelae spectat, facile transigimus de termino illo, si ea vera sunt, quae asserunt omnes rerum germanicarum periti, inter impuberis minoresque non distinguere solere populares. Evidit id inter alios Illustr. G A E R T N E R V S *dissertat.* *Iure Germanico inter impuberis et minores, tutores et curatores non distingui.* Neque lingua nostra popularis diuersitatem termini habet, quo tutorem a curatore vel im-
puberem a minore distinguat: Hos *Mündel*, illos *Bor-*
münden

mündor vocat. Scio quidam varios Eruditos has iuris romani differentias adhuc hodie in foro obseruari contendere, capti forsitan nimiae iuris Romani amore. Nec forsitan negari posset, interdum rebus iudicatis probari posse. Sed forsitan, qui ingenue rem fateri velit, non negabit, interdum quaedam in sententiis pronunciari, quae obseruantia quadam antiqua fundantur, quae in foro causisque quotidianis aliter sunt. Et ita in hoc themate. Terminus vero quo a Cura aut tutela si mauis liberabantur, moribus et consuetudinibus satis definitus: quod eiicit P E T R . D E L V D W I G de aetate pupilli et IDEM in *Ephemer.* Vol. I. pag. 497. At non in hoc tantum recedebant a romanis, sed distinguebant inter legitimationem tutelam eamque vicariam. Illam plerumque ususfructuariam habebant, hinc ratio reddenda non videbatur; sed officium restitutis bonis atque satisfactione de damno dato videbatur finiri. Qui mos capiendi vel fructus omnes rerum pupillarum in aliqua specie viguit adhuc tempore *Epkouii de Repkov,* qui met ipse in SPECVL. SAXON. Lib. I. art. 23. expresse posuit. Dem, so des Kindes Erbe ist, soll sein Bormund von Jahr zu Jahr des Kindes Guth berechnen. Wo aber der Bormund auch Erbe mit ist (i. e. legitimus) so darf er niemand des Kindes Guth berechnen. Plura in hanc rem disputat HEINECCIUS in *Elem. Iur. Germ.* L. I. Tit. XV. §. 348. sqq. Patet vero vel ex adducto Speculi Saxonici loco reliquos Vicarios illos tutores recte obligatos ad rationes reddendas, sed non romanorum more finita tutela, potius singulis annis. Ne vero, quos Vicarios dixeramus, ignoret quis, monendum, omnes quidem tutores ob supremam Principum magistratumque tutelam vicarios fuisse atque adhuc esse, adeoque legitimos, quod adhuc hodie inde patet, quod omnes nullo discrimine habi-

to,



to, qui sint, confirmatione egeant, neque prius ad administrationem admittendi, quam confirmatione praecedente, nos eos tamen Vicarios hos diximus, qui non a legis aut consuetudinis arbitrio admittuntur, sed quos solus sibi iudex constituit, quibus suum officium curandi pupilli committereret, siue praecedat pactum aliquod, siue ipsius Iudicis electio, siue parentis in testamento facta nominatio, a quo tempore iuris Romani notitia testamentarios cognitos fecit in Germania tutores. Distinximus nos vicarios a legitimis ob hanc solam causam, quia, quod ante diximus Legitimi nonnunquam usufructuarii essent, non aequae reliqui vicarii.

§. VIII.

Rationes ergo reddabant tutores germanici non finita tutela, sed annuatim, qui mos prope vniuersalis dicitur Germanis a GISEBERTO Peric. II. Statut. Libr. 1. Tit. 24. n. 30. Neque mirum; non enim soli obligatus est pupillo suo, cuius curam educationemque gerit, bona que administrat, sed maxime magistratui, cuius vim gerit, cui prouinde obligatus est ad rationes reddendas, quo possit agnoscere, qualiter suum peragat officium, ne postea magistratui, si sua negligentia contingat, ut damnum patiatur pupillus rationibus iusto tempore non exactis, illius restitutio imputari debeat. Est enim etiam fori obseruantia a recta Iuris Patrii analogia non aliena, vt Iudex latissim curiosus, quique bene fentit de suis pupillis, deque eorum bonis conseruandis sollicitus, pro ut eius est officium, ut elapso anno a tute exigit rationes, eique iniungat, vt offerat. Et recte, quare arbitror, si in exigendis illis negligens sit magistratus, magistratum tanquam supremum tutorem recte tunc conueniri posse, quae quidem non est subsidiaria iuris Romani actio, sed tutelae directa quaedam

ex



ex Germanorum moribus introducta suprema tutela deducenda, quamuis tantum in subsidium adhibenda.

§. IX.

Redimus iam ad *aneclogistum tutorem*. Ius Romanum cum Patrifamilias liberrimum concederet ius, vi suae Patriae Potestatis, liberis suis testamento dandi tutorem, non eotantum contentum fuit, vt pater posset dare tutorem, qui nulla inquisitione a magistratu instituenda egebat, sed adeo a grauissimo officio liberaret scilicet rationem reddendarum. Non longe lateque qualitatem huius generis tutoris exsequar, quippe elegantiora dixit C R E L L I V S *de tutori aneclogisto*, dixerunt et alii. Pauca ordinis causa repetere liceat, quo comparationem postea recte instituere queamus ex Iure nostro Patrio. Profecto si huius causam dabimus ex Iure Romano, solum illud imperium domesticum patri competens huic concessit, rei suae legem scribere, cumque testamentum populi autoritate suffultum esset, mirum non videri potest, eum tutorem a rationibus reddendis immunem fuisse, quem patris imperium populi autoritate suffultum ab hac officii tutoris necessitate liberaret. Recte tamen obseruat V L P I A N V S L. 5. §. 7. π. *de Administr. et pericul. tutor. aneclogistum esse posse ex imperio paterno*, si bona fide gesserit, tamen si dolose egerit damnandum nihilominus, vt ergo paterna lex eum a damni restitutione liberari non possit, cuius causam in iure publico posuit: i. e. eo, quod reipublicae intererat, bona pupillorum conseruari, et eo, quo munus publicum tutela dicitur. Audiamus ipsum Domitium: *Iulianus libro vicesimo primo digestorum huiusmodi speciem proponit: Quidam decedens filius suis dederat tutores et adiecerat: EOS || QVE || ANEC-*



ANE CLOGISTOS ESSE VOLO. Et ait Julianus, tutores nisi bonam fidem in administratione praeflisterint, damnari debere; quamvis testamento comprehensum sit, ut aneclogisti essent, nec eo nomine ex causa fideicommissi quidquam consequi debebant, vt ait Julianus, et est vera ista sententia, nemo enim ius publicum remittere potest huiusmodi cautionibus: nec mutare formam antiquitus constitutam. Patet ex his patrem quidem potuisse remittere rationes reddendas, nec obligatum suisse tutorem, dum modo bona fide gesserit. Remittebat itaque pater, quo ad pupilli iura, cui tanquam suae rei legem dicere poterat, sed non remittere poterat in fraudem iuris, quo liberatus esset tutor ab omni doli forsan et culpae praestatione. Iam videamus quae iubent leges patriae.

§. X.

Iam vidimus quidem *aneclogistos tutores*, sed quibus iure ac consuetudine potius rationum reddendarum necessitas remissa esset, non quos paternum aliquod in suos liberos absolverat imperium: puto legitimos, matrem scilicet ac agnatos, quibus vſuſfructus ex bonis pupillaribus olim competebat. Sed cum his amplius nobis nihil erit negotii, cum vix illud priscae germaniae ius obtineat praeterquam inter illustres. Et si adhuc obtineret inter priuatos iure sive prouinciali, sive consuetudinario, recte aneclogisti dicerentur ii legitimi tutores, sed non est dubium, eam quam ius Romanum dederat actionem vix applicari posse tunc, quippe in fructibus, si dolosi aut negligentes fuerint, damnum non pupillus, sed ipse vſuſfructuarius tutor sentiret. Neque tunc causa publica seu vt in lege Vlpiani ius publicum interueniebat, quippe illa forma de rationibus

C

red-



reddendis non cautione priuata aliqua immutabatur, sed ipso iure aut consuetudine comprobata ususfructuaria tutela. Videamus itaque an testamento aut pacto aliquo haec necessitas reddendi rationes patrio iure remitti possit?

§. XI.

Primum quidem de testamentaria videamus tutela. Ignorauit antiqua germania omnem omnino testamentariam tutelam, et sine ignorare debebat, cum ne testamenta quidem genti cognita essent. Sequitur inde recepto demum Iure Romano atque in Germaniam inuecto tandem cum testamentis et testamentarias tutelas demum cognitas factas fuisse. Neque tamen ita recuperunt nostriates iuris Romani dispositiones de tutelis testamentariis, ut singula capita comprobarent, atque applicarent; sed potius ad sui iuris analogiam declinabant: hoc est ea tantum comprobabant Romana, quae suis de tutelis rationibus conueniebant. Hinc quidem permittebant, ut pater in testamento liberis tutorem nominaret; at recedebant prope in reliquis omnibus a Romani iuris obseruantia. Nolebant ergo ut ipso iure flatim tutor esset, vt apud Romanos, neque poterant hoc concedere. Cum enim supremus tutor esset magistratus, iisque qui administrabant vicarii illius, absurdum fuisset, patri tantum ius concedere, ut magistratus obtrudere posset vicarium. Hinc prius inquisitione instituta, an satis idoneus sit, ne periculum rerum suarum patreretur pupillus; si idoneum deprehendebat magistratus, confirmabat, neque permittebat, ut administrationem suscipieret ante confirmationem. Deinde nec a satisfactione testamentarius tutor ille Germanicus liber et immunis erat, vt apud Romanos, sed bonis suis cauere debebat, aut satisfare



dare fideiussoribus, si bona non habeat. Tandem si non idoneum deprehendebat iudex, eum, quem pater nominaverat in testamento, liberum erat iudici, sredo patris consilio, sibi constituere vicarium tutorem magis idoneum, quo minus periculi et pupillus et ipse magistratus haberet. Demum nec adeo subtile erant populares, ut in testamento tantum aut codicillis testamento confirmatis tutores dari vellent, sed et in non confirmatis codicillis fieri permittabant, in qua sententia recedebant a Iure Romano. Neque mirum, si rem exacte perspicimus. Si enim dicendum est, vti res est, sane dubito an vnquam ea possit apud nos recte tutela testamentaria dici. Negandum potius videtur quam adfirmandum. Rem sic mihi fingo. Quamvis quidem inter populares non aequae, vt apud Romanos tutores petendi essent, sed magistratus potius ex officio tutores eligeret atque dein confirmaret; tamen non penitus inusitatum fuit, vt matrem aut agnatos vocarent in iudicium, qui non minarent, ex quibus iudex maxime idoneum eligeret. Permittere itaque poterant, vt pater testamento salua tamen magistratus tanquam tutoris supremi iure in tantum suis liberis prospiceret nominando aliquem, quem idoneum putaret, qui tutor a magistratu creareretur et confirmaretur. Est itaque tutela testamentaria nunquam apud nos recepta ex Iure Romano, sed moribus nostris permissa tutoris aliqua nominatio in testamento facienda a patre.

§. XII.

Si haec omnia recte perpendimus, quae omnia adhuc fori vsl plerumque comprobantur, facile omnium rerum ratio reddi poterit, in quibus nostros a peregrino illo iure, quod praeterea in subsidium tantum receptum



fuerat, recesserunt. Nam cum ille tutor testamento tan-tum tanquam nominatus considerandus esset, quippe fieri non poterat, vt pater magistratui vicarium obtruderet, mi-rum non videbitur, cur magistratus in eius qualitates inqui-rat, et si idoneum reprehenderit, confirmet, si minus, non admittat potiusque alium eligat; cur cautionem exi-gat rem pupilli saluam fore, cur non respiciat an testamen-to an codicillis etiam non confirmatis datus sit ille tutor. Sibi enim adiungit magistratus tutorem pupilli educatio-nem eiusque bonorum curam suscipiente, at suscipien-tum etiam magistratus periculo, si quam admiserit culpam magistratus in eligendo confirmandoque eo. Iam ergo si quaestio incidat, vt pater aliquem iussit in testamento esse *anecligendum*, facile apparet, hanc patris ultimam vo-luntatem, vti in ipsa nominatione non obligabat iudicem, sic nec in hac causa immunitatis a reddendis rationibus li-berare potest. Frustra ergo scribet hanc cautionem pa-ter. Quodsi enim et patris iudicio liber et immunis esset, quis improbet iudici, si hic a suo, quem sibi confirmauit tuore vicario rationes exigat. Dein praeter has rationes etiam multum facit ipsa patriae porestatis differentia. Nun-quam enim probabimus, inter Germanos parentes in suos liberos atque sobolem omnem tantam habuisse potestatem, quantam habuit pater Romanus. Societatem habebant fa-miliam totam, cuius directionem et curam tribuebant patri, reliquis ex virtutis regulis, gratitudinem pietatem atque obse-quium imponebant. Ignorabant quiritarium dominium: Hoc vero causam habebat remissarum a parente rationum. Quis ergo non recte concludat, cessante causa, cessare debere effectum. Inde recte concludimus: nunquam hunc tu-torem, quamvis volente adeo patre, apud nos, qui in praxi de tutoribus germanici iuris analogiam adhuc sequi-mur,



mur, *anealogistum* existere posse; sed potius semper magistratum suo iure, tanquam supremus tutor a suo vicario exigere posse rationes.

Super est quaedam adhuc de pactio tute dicere. Neque hunc, quamvis moribus introductum pacto, a redendi rationes necessitate liberari posse arbitror. Quamuis enim negari non potest, pactitiam, ut supra monuimus, tutelam germanico foro non aduersari, quam admissam vix putauerim in agnatorum detrimentum antiquissimis temporibus, tamen et hunc vicarium suisse supremi tutoris extra dubium est. Quapropter nec mirum videri potest, hunc quoque a iudice confirmandum, nec liberum esse a cautionis praestatione, imo si inidoneus sit a iudice repelliri adeo posse. Hinc facile ratio dari poterit, si contingat, vt pater pacto quem tutorem nominet seu potius obliget, vt se ad suscipiendam tutelam offerat, eoque ipso pacto remiserit necessitatem rationum reddendarum, cur magistratus ad pactum non obligetur obseruandum. Cum enim ea pacto data immunitas periculosa foret magistrati, imo possit et valde periculosa esse pupillo, quis cogat iudicem, vt in suum periculum consentiat. Dein cum ex pacto consentientes tantum teneantur, haec in qua pater et cum quo pactus erat tute futuro scilicet suorum liberorum, consenserant, non obligare possunt tertium, qui est magistratus non consentiens. Suo ergo iure a pactio quoque exigere poterit tute rationes, quamvis forsan pacto hanc necessitatem remiserit pater. Et quam valde immutata est ea, vt supra notauimus iuris Romani notio de tutelis ab iis, quae Germanicum ius ha-



bet, quaeque ex eo retinuit forum. Et cum pleraque leges ipsi magistratui imponant necessitatem, ut diligenter rationes a tutoribus exigat atque excutiat, ne ipsum quidem magistratum posse aliquem tutorem aneclogistum pronunciare arbitror. Et si magistratus forsitan deliciis Romani iuris captus, spretis patriis moribus, qui adhuc antiquum militarem et barbarum statum redolent, vt docuit BOEHMERVS de *Iuribus ex statu militari veterum Germanorum potentibus*, aneclogistum quandam tutorem constitueret aut confirmaret, non dubito quin, si minor principem adeat, non tantum ipsum tutorem ad rationes reddendas compulsum iri, verum et magistratum de omni periculo obligatum fore.

T A N T V M.



PRAE-

† PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
CAROLO AVGVSTO
SCHLOCKWERDER

S. D.

P R A E S E S.

Dalde quidem dubitauit, quin epistolam comitem TVAE dissertationi addere deberem, qui nihil nisi, quae in TVAM DOCTISSIME RESPONDENS laudem vergerent, dicere possem, quo ipso mihi videbar TVAM verecundiam laedere; at officium tamen, cuius egomet dulcedine capiebar, impulit me ad scribendum. Quo enim magis elestari posset praceptor, quam discipulo a se enutrito scientiis ita, ut eum publice laudare possit. Fuiſti mihi affiduus, singulisque prope diebus non tantum industriae verum etiam artis egregia exhibuisti documenta. Fuit semper TVA prima cura reposita in augenda poliendaque scientia,

* * *

scientia, quo aliquando ad altiora tendere possis. TIBI
itaque gratulor ex animo summa cum voluptate atque
opto, ut quae erunt in Votis unquam TVIS, prospere
TIBI quoque eueniant. Maxime vero iucundum mihi
fuit, cum me TVAE laudis hodie consequenda Socium
et TVARVM scientiarum testem elegeris. Et hanc
gloriam hancque laudem summae TVAE atque misericorde
laudandae diligentiae premia gratulor. Plura dicereim,
nisi in suspicioem incidere in precio conducti precomis, a
quo vicio tamen sum alienissimus. Sicuti TV certus esse
poteris, nihil TIBI euenire posse boni, quod non summo
cum gaudio TIBI tribuerem, ita sane TE rogo, cum
a TE me amari sentiam, tot enim dedisti miki amoris do-
cumenta, cuius summum mibique charissimum fuit dili-
gentia TVA in apprehendendis Iuribus impensa, velis
hunc miki amorem hancque amicitiam saluam integrum
que conseruare. Ego sane sancte promitto me nunquam
a TE amando defiteturum. Sic Vale et Vale feliciter me-
que amia. Dabam Lipsiae die V. Octobr. ccccLXIV.

* * *

Leipzig, Diss., 1764



3

f

TAZOL

nur 31. Stck. Bücher verknüpft

VD18

B.I.G.

Black

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

0

S P E C I M E N

CONTINENS

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M

D E

T V T O R E A N E C L O G I S T O
H O D I E
A D R A T I O N E S R E D D E N D A S
O B L I G A T O

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S O R. P V B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G. S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E V. O C T O B R I S A N N O C I C I D C C L X I V.

D E F E N D E T

C A R O L V S A V G V S T V S S C H L O C K W E R D E R

L O E B A - L V S A T.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

1764, 19.
A 8:304.